

IV. Hanc coenae dominicae institutionem, gratias actas, et laudes Dei et benedictiones derivari ex judaica ritibus posse, plerique sunt, qui contendunt. Verba proferre praestat Christophori Matthaei Pfaffii in Dissertatione de oblatione Veterum eucharistica §. 4. « Primum itaque Christus panis » benedixit, ac super eo gratias egit . . . Quia in » re ista *εὐλογία*, aut *εὐχαριστία* consistit, a Judaeis descendit. Absolvitur autem ea juxta » hos, sequentibus verbis: Benedictus sis, Domine » Deus noster, Rex mundi, quia producis panem » e terra (Missn. Cod. Brachos cap. 6, §. 1). Nec » dubium est Christum hac *εὐλογία* saepius usum » fuisse, cum panis benediceret (Matth. 14, 19, » 13, 56, Marc. 6, 41, Luc. 9, 16, Joan. 6, 2). » Non autem apud Judaeos benedictio poterat pronuciari, nisi apprehenso prius pane benedicens: » unde *לֶחֶם*, accipiens, ante vocem, benedixit, » gratias egit, extat (in Lesusch Hattechelet num. » 167, §. 5): quemadmodum autem panis fuit » benedictus, ita vinum . . . Benedictio autem poculi haec est: Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, creans fructum vitis. » Pergit ille §. 3, eucharisticae actiones ritibus judaicae exponere, ac 1. Benedictione peracta, Christum fregisse panem, consuetudine hac pariter a Judaeis desumpta. 2. Apud eosdem in eo coenam paschalem ab aliis conviviis differre, quod in eadem panis frangeretur ante benedictionem. 3. Sequi distributionem illius, quibusdam verbis additis, v. g., » hic panis afflictionis, quem manducaverunt Patres nostri in terra Aegypti: omnis esuriens veniat, et manducet. » 4. Pari modo symbola eucharistica a Christo consecrata, ac postea distributa cum adjunctis illis verbis. » Hoc est corpus meum, » hic est sanguis meus. » 3. Agnum paschalem assum, inque mensa positum, olim dictum Judaeis, » Corpus paschalis: » idque adludi a Christo, ut inuenerit, discipulis quidem suos haecenus corpus paschalis comedisset, typum corporis sui in mortem mox tradendi: nunc vero se ipsam dare corpus suum, in locum tyorum veteris testamenti, tanquam complementum successurum.

Ritibus id genus, quos Christus adhibuerit, si quispiam contendat, S. Thomae Sanctorumque Patrum sententiam infirmari, toto errat ostio. Admonet ipse Pfaffius in Notis ad §. 4, » totam Christi » benedictionem in sola illa Judaeorum benedictione » non constituisse: » proque certo habet in alia Dissertatione de consecratione Veterum eucharistica §. 1, alia quaedam verba addidisse optimum Salvatorem, quae nempe ad sacramentum Eucharisticae instituendum idonea forent. Quenam vero magis ad hunc finem idonea verba fuerint, quam illa, » Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis » mei, » ut ea demum ad ipsam panis et vini benedictionem pertinuisse dicantur? Id utique panis et vino, fatente Pfaffio, ex illa judaica benedictione obveniebat, ut illa symbola dicerentur » sanctificata et consecrata; » unde colligitur, benedictione quoque sua Christum sanctificasse et consecrasse elementa: eandemque consecrationem, cum in eorundem maxime consistat transmutatione in suum corpus et sanguinem, aptioribus verbis peragi non potuisse, quam illis de quibus agimus. Tametsi vero verba illa, » Hic est panis afflictionis etc. » post fractionem ejusdem placenta in duas partes proferret paterfamilias; perperam inde extundas, illa

itidem Christi verba, » Hoc est corpus meum, » neque ante fractionem, neque » concomitanter » cum fractione dicta fuisse, cum haec minime Christus protulerit illorum loco; sed potius ad benedictionem pertineat panis, quem conviviorum initio sumebat paterfamilias, Deoque gratias pro ipsa agebat.

Quae demum splendidius ut innotescant, partes duae, vel etiam tres, in ultima coena quam Christus celebravit, distinguendae sunt: nempe coena legalis, coena usualis et communis, atque praeterea, ut aliqui putant, coena eucharistica. Prima in usu agni paschalis consistit: in eaque legitimos ritus observasse Christum, ratio nulla dubitandi. Huic adjungebatur coena communis, quae coenula dicebatur, mellitis quibusdam saeccharatisque bellariis instructa, quae demum poculo vini claudabatur. In hac institutum fuisse Sacramentum Eucharisticae, existimant plerique. Tertiam veluti coenam distinguunt alii. Matthaeus capite 26, v. 26, et Marcus capite 14, v. 21, ajunt: » Coenantibus autem eis, vel manducantibus illis, accepit Jesus panem etc. » id est, sub florem, vel post ipsam coenam legalem, ac etiam si placeat post coenam usulem, dum adhuc mensae epulis et bellariis stratae accumberent Discipuli cum Christo, accepit ille panem, quem consecravit. S. Lucae verba disertissima sunt capite 22. Ait enim vers. 14: » Cum facta esset hora, » discubuit, et duodecim Apostoli cum eo, » vers. 15. » Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha » manducare vobiscum, antequam patiar, » vers. 16. » Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei; ubi Sancti fruentes beatitudine, acrumnis omnibus hujus vitae exsoluti sunt, hanc plenam Sanctorum libertatem paschate legali significante. Haec est coena legalis ad quam verba pertinent quae sequuntur vers. 17. » Et accepit calicem gratias egit, et dixit: » Accipite et dividite inter vos, » vers. 18: » Dico enim vobis, quod non bibam de generatione » vitis, donec regnum Dei veniat. » Poculum est, non primum, veluti praeparatorium ad coenam legalem, ut in Ritualibus Judaeorum libris legitur: sed alterum, quod in fine ejusdem coenae hauriebatur. Pergit Lucas, et ait vers. 19: » Et accepit » pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: » Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur » hoc facite in meam commemorationem, » vers. 20. » Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. » Paria sunt quae tradit Apostolus Paulus in Epistola 1 ad Corinthios capite 11.

In hac sacrosanctae Eucharisticae institutione, sive in ipsa coenula usuali, sive post ipsam peracta fuerit; ritus utique et benedictiones et gratiarum actiones adhibuit Salvator mundi, quae augustissimo Sacramento instituendo congruerent. Julius Bartoloccius in Bibliotheca Parte 2, pag. 174, scite adnotat, patrem familias apud Judaeos placentaey azymae partem, quae ex coena legali reservata fuerat, frangere in coenula, et in frusta dividere, et assidentibus mensae distribuere consuevisse absque ulla benedictione: idemque servatum in distributione calicis. Atamen » Christus, inquit, volens hanc » partem placentaey efficere corpus suum, benedixit, » quod non faciunt Judaei dum frangunt: sed illud » in frusta dividunt, et sine benedictione ex eo

» communicant omnes assidentes ad mensam. Christus autem benedixit, ut *εὐλογία* prolata, per » verba: Hoc est corpus meum, *εὐχαριστία* corporis sui sacratissimum conficeret. Idem circa calicem, postquam coenatum est, effecit. » Unde notum est comperturque, frustra illos esse qui contenderent, non alias a Jesu Christo adhibitas benedictiones et laudes et gratiarum actiones, nisi quae in ritualibus Judaeorum libris prostant. Quod ait demum Pfaffius, verbis illis: » Hoc est corpus meum, adludum a Christo agnum paschalem, quem » corpus paschalis » vocabant: nec inficias iverim ego, neque adprobem. Agentis Bartolocii verba refero: » Quares . . . cur Christus Dominus in institutione Sanctissimi Eucharisticae Sacramenti, potius » usus est his verbis, Hoc est corpus meum, quam » aliis quibusdam (v. g.), hic panis est caro mea . . . Resp. Voluit his verbis Dominus aludere ad caeremoniam agni Paschalis, quem in » hac coena Judaei comedeant, quique erat typus » et figura Christi. Hunc assatum mensae apponebant integrum, et corpus paschalis, sive corpus agni paschalis appellabant. . . . Consummata veteris testamenti caeremonia . . . ut novum Salvator noster et aeternum institueret Testamentum, et novum corpus veri et immaculati » agni nobis manducandum praebere sub specie » panis; panem ipsum accepit, et ad corpus agni » paschalis veteris testamenti alludens, dixit, Hoc est corpus meum . . . Pariformiter post communem et usulem coenam accipiens poculum, illudque ex veteri in novum testamentum transferens, vinum in sanguinem suum pretiosissimum consecravit. »

CAPUT V.

Episcopatum esse Ordinem a Presbyteratu distinctum, docet Aquinas. Distinctum etiam dici debere Sacramentum, inficiatur. Consecratoria, et animadversiones, quibus Anglici Doctoris mens illustratur. Tridentina Synodus, ac Patrum dogmata et Canones non adversantur. Ea ad examen quorundam opinio vocatur, qui putant, Ordinem olim, praetermissis Presbyteratu, ordinatos fuisse Episcopos.

I. Libens lubensque formam exhibeo vindictiarum, quae uberrimae adornari possunt pro Thomae Aquinatis theologicis Dogmatibus, quae censoria virga notari posse nonnulli censent imprudenter. In censum venit thesis illa, quae veluti a Thomae tradita profertur: eademque enuntiat » Episcopatum nec esse ordinem, neque Sacramentum ». Hanc vero admonet Adversarii, » hoc tempore » periculosam esse ob locum Concilii Tridentini » sess. 25 ». Pars nempe thesios Praeceptoris Anglici sententiam effert, imposturam involvit pars altera. Haec de re agit Aquinas in 4, Dist. 24, Quaest. 3, Art. 2, quaestione. 2. » Ad secundam » quaestionem dicendum, iniquis, quod Ordo » potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum » quod est Sacramentum: et sic, ut prius dictum est » (Quaest. 2, Art. 1), ordinatur omnis ordo ad Eucharisticae Sacramentum. Unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdotis » quantum ad hoc, non erit Episcopus ordo: sed illo » modo potest considerari ordo, secundum quod

» est officium quoddam respectu quarundam actionum sacramentorum: et sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu » Corporis mystici supra sacerdotem, Episcopus » est ordo ».

Pars ego thesios prima perperam et injuria Sancto Thomae alligitur, qui constantissime passim docet, Episcopatum esse ordinem; si pro eminentiore quodam officio sumatur, a simplici sacerdotio distinctum; ipsumque divina Jesu Christi institutione permanentem ac indelebilem. Loco citato ad 5: » Dicendum, ait, quod potestas episcopalis non est tantum jurisdictionis, sed etiam » ordinis... secundum quod ordo communiter accipitur, » Dist. 23, Quaest. 1, Art. 2, ad 2. » Dicendum » quod in promotione Episcopi datur sibi potestas, » quae perpetuo manet in eo, quavis filius non » possit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi » mysticum: et tamen indelebiter manet, sicut » character, quia per consecrationem datur ». Et Opusculo 18, in editione Romana, capite 24: » Si » Episcopus depositus restituitur, non iterum consecratur, tanquam potestate ordinis remanente, » sicut et in aliis contingit ordinibus ». Quo demum episcopali ordine, tametsi juxta mentem Thomae non sit Sacramentum, nec imprimat characterem, superiorem Presbytero efficit Episcopum, docet ille ac declarat elegantissime Dist. 24, cit. Quaest. 5, Art. 2, ad 5. » Sicut, inquit, omnium rerum » naturalium perfectiones praexistunt exemplariter » in Deo, ita Christus fuit exemplar officiorum » ecclesiasticorum: unde unusquisque Minister Ecclesiae quantum ad aliquid gerit typum Christi; » et tamen ille est superior qui secundum majorem perfectionem Christum repraesentat. Sacerdos autem repraesentat Christum in hoc, quod » per seipsum aliquod ministerium implet: sed » Episcopus in hoc, quod alios ministros instituit, » et Ecclesiam fundavit. Unde ad Episcopum pertinere mancipare aliquod divinis obsequiis, quasi » cultum divinum ad similitudinem Christi statuens: » et per hoc etiam Episcopus specialiter sponsus » Ecclesiae dicitur, sicut Christi ». Hunc peculiarem Episcoporum ordinem, quem semper Ecclesia Catholica professus est, ad institutionem divinam pertinere, egregie vindicat Epiphanius adversus Aerium Haer. 75, num. 4. » Totum illud, inquit, stoliditatis esse plenissimum, prudens quisque facile » perspicit: velut cum Episcopum ac Presbyterum » adaequare conatur. Hoc enim constare qui potest? » Si quidem Episcoporum ordo ad gignendos patres » (sacerdotum) praecipue pertinet. Hujus enim est » patrum in Ecclesia propagatio. Alter (Presbyter, » seu Sacerdos) cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotionem producit, non tamen » patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, » ut eis Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum nullum jus habeat? » Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest » aequalis? ».

II. Pars altera thesios, quae Episcopatum negat esse ordinem illum qui dicitur Sacramentum, et characterem imprimi, genuina sententia Thomae est. Contrariam putant nonnulli doceri ab Aquinate opinionem in Opusculo citato 18, capite 24. Verba ejus profero: » Quod quarto (loco) proponitur, » iniquis, quod Episcopatus non est Ordo, hoc

manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. Expresse enim dicit Dionysius (de Eccles. Hierar., cap. 5) esse tres ordines ecclesiasticae Hierarchiae: Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum. Et 21 dist. (Parte 1 Decreti) cap. Clerus, habetur, quod ordo Episcoporum quadripartitus est. Habet enim ordinem Episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia; super quam principalem accipit eum, et quasi regalem. Sed quantum ad Christi corpus verum, quod in Sacramento continetur, non habet ordinem supra Presbyterum. Quod autem habeat aliquem ordinem, et non jurisdictionem solum, sicut Archidiaconus, vel Curatus Presbyter; patet ex hoc quod Episcopus potest multa facere quae non potest committere; sicut confirmare, ordinare, et consecrare Basilicas, et huiusmodi: quae vero jurisdictionis sunt, potest aliis committere. Aut caligantes eorum fuerint oculi, aut nimium praedictis mens occupata, qui in allato loco mutata ab Aquinate sententiam videre sibi videntur. Episcopatum pro certo habet esse « ordinem, si absolute intelligatur: » minime quidem « per comparationem ad corpus Christi verum » unde Sacramenti ratio desumitur, quae inest ordinibus Presbyteratus et Diaconatus: sed « per comparationem ad corpus Christi mysticum, » quod est Ecclesia. Haec ipsis sunt, quae in quarto Sententiarum libro ab ipso tradita protulimus.

Rationum momenta, quibus haec innititur opinio Thomae, paucis liceat perstringere. Illud affero, quod habetur in 4, Dist. 24, Quaest. 3, Art. 2, Quaestione 2, ad 2. « Dicendum, quod Ordo, secundum quod est Sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad Sacramentum Eucharistiae in quo ipse Christus continetur, « quia per characterem ipsi Christo configuramur: » et ideo, licet detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris. Et propter hoc Episcopatus non est Ordo, secundum quod ordo est quoddam Sacramentum. Vis argumentationis pendet ex notione characteris, quo Christo configuramur, recte ac probe constituta. Haec de re luculentissime agit Aquinas Parte 5 Summae Theologiae, Quaest. 63; ubi docet, Art. 2 et 4, per ea Sacramenta novae legis imprimi characterem, quibus homines peculiari ratione « deputantur ad cultum Dei secundum ritum Christianae religionis: » cultum istum divinum « praecipue » positum esse in confectione Sacramenti Eucharistiae, et in oblatione sacrificii: homines ergo ad huiusmodi cultum deputatos intelligi, vel quia confertur ipsis potentia recipiendi Sacramenta, maximeque Eucharistiam, ut in Baptismate; vel quia idonei fiunt ad impugnandos fidei cultusque divini hostes, ut in confirmatione; vel demum quia ipsi potestas conceditur conficiendi Eucharistiam et offerendi sacrificium, atque par tanto Sacramento, et sacrificio ministerium impendendi, ut in ordine Presbyteratus et Diaconatus. Atqui vero in promotione vel ordinatione Episcopi nulla confertur ipsi potestas qua ipsum agat divinum cultum, conficiendo scilicet Eucharistiam, et offerendo sacrificium, aut ministerium aliquod praestando; sed illi potestas traditur ad mancipandum alios cultui divino, seu Ministros deputandos, qui

maxime praedictum peragere queant cultum divinum. Itaque huiusmodi quae Episcopo datur potestas, non est character.

Eadem in Quaestione 63, verba sunt Doctoris Angelici animadversione dignissima Art. 3. « Character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus: ut scilicet sicut Christus habet plenam spiritualem sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurantur (seu adsimulantur) in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu Sacramentorum, et eorum quae pertinent ad divinum cultum. » Pergit ipse docere, quod ex articulo sexto jam delibatum est, tum primo « in Eucharistia » principaliter divinum cultum consistere, in quantum est Ecclesiae sacrificium; tum practerea ad huiusmodi cultum divinum deputari hominem « vel per modum agentis, vel per modum recipientis: » posteriorem hanc deputationem « baptismate » peragi, ac etiam quodammodo « confirmatione »; ac utriusque characteres « participationes » esse, tametsi remotas et imperfectas sacerdotii Christi: alteram vero deputationem ad sacerdotalem spectare characterem, veluti perfectiorem ejusdem sacerdotii Christi participationem. Quid inde colligas? Utique colligendum, potestatem episcopalem non esse characterem, utpote quae tametsi valeat Sacerdotes et Ministros deputare, attamen non valet praecipuum divinum cultum peragere in confectione Sacramenti Eucharistiae, et in oblatione sacrificii.

Ad hanc rem maxime facit scitissima illa Divi Thomae animadversio in citata Dist. 24, Qu. 3, Art. 2, ad 3: « Sacerdos » inquit, repraesentat Christum in hoc, quod « per seipsum aliquid ministerium implevit (Eucharistiae Sacramentum conficiendo, seque ipsum offerendo aeterno Patri). Sed Episcopus in hoc, quod alios Ministros instituit, et Ecclesiam fundavit. Unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis obsequiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuens. » Palam est, promotione et ordinatione sua non mancipari Episcopum divino cultui, adeoque non insigniri characterem. Eminentior quaedam in fideles confertur eidem potestas, qua alios divinis obsequiis addicere potest, eosque characterem per institutos a Christo ritus insignire.

Lucem haec afferunt splendidissimam, qua innotescat, distinctionem ordinum, qui sunt sacramenta et imprimunt characterem, ex relatione ad sacramentum Eucharistiae repetendam esse. Ait Sanctus Thomas Dist. 24, Qu. 1, Art. 1, Quaest. 2. « Dicendum, quod Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiae (conficiendum) ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum. » Et ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam: quia potestas Ordinis, aut est ad consecrationem Eucharistiae ipsius, « (ordo scilicet et character Presbyterorum); aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc » (nempe ordo Diaconatus, et inferiores alii, si addere quidem eos placeat). In hoc rationis momento stat immotus Aquinas Libro 4 contra Gentiles, capite 74. « Quia vero potestas Ordinis, in quibus, ad dispensationem Sacramentorum ordinatur: et inter Sacramenta nobilissimum et consummativum aliorum est Eucharistiae Sacramentum: oportet, quod potestas Ordinis consideretur praecipue secundum comparationem ad

hoc Sacramentum; nam unumquodque denominatur a fine. . . . Quia igitur (cap. 73) potestas Ordinis principaliter ordinatur ad Corpus Christi consecrandum, et fidelibus dispensandum, et ad fideles a peccatis purgandum: oportet esse aliquem principalem Ordinem, cujus potestas ad hoc principaliter se extendat, et hic est Ordo Sacerdotalis: et alios (oportet esse) qui eidem servant aequaliter, materiam dispensando; et hi sunt Ordines ministrantium. Haec attentiore mente qui legerit et expendit, compertissimum habeat oportet, frustra illos esse qui opinati sunt, Episcopatum ab Aquinate agnitionem admissumque alicubi inter Ordines, qui nedom sint gradus et officia hierarchica, verum etiam Sacramentum characterem imprimant. Quoniam ergo fuerit Episcoporum potestas? De illa egregie pertractat S. Thomas, Cap. 76 insequente: « Quia vero, inquit, omnium horum ordinum (Sacerdotii, Diaconatus, et inferiorum) collatio quodam Sacramento (imprimente characterem) perficitur; ideo necesse est, aliquam superiorem potestatem esse in Ecclesia alicuius altioris ministerii, quae Ordinis Sacramentum dispenset: et haec est Episcopalis potestas. Quae etsi, quantum quidem ad consecrationem Corporis Christi, non excedat Sacerdotis potestatem (imo neque valeat ipsa, per se se spectata, Corpus Christi consecrare); excedit tamen eam in his quae pertinent ad fideles. » Est nempe potestas, qua Episcopus Christum repraesentat « in hoc, quod alios Ministros instituit, et Ecclesiam fundavit. »

Quae nos pro Divi Thomae sententia disserentes, animadvertimus cum Joanne a S. Thoma, Disput. 2, de approbatione doctrinae ipsius Aquinatis Art. 3, Prop. 9: « Praeceptorum Angelicum, cum negat Episcopatum esse Sacramentum ordinis, loqui de illo contradistincte a Sacerdotio, et secundum id quod ad Sacerdotium superaddit. Hoc, quod superaddit ad Sacerdotium, dicit esse dignitatem Ordinis et officium, sed non sacramentum Ordinis: nec se habet ad Sacerdotium sicut Sacerdotium ad Diaconum, cui illud superaddit aliquid quod pertinet non solum ad dignitatem sed ad rationem sacramenti. Si vero sumatur Episcopatus non distincte a Sacerdotio, sed cum illo; sic non loquitur Divus Thomas, nec potest aliquis negare quod includat Sacramentum ordinis, scilicet ipsum Sacerdotium. »

III. Consecraria plura sponte flunt, quae Thomae sententiam maxime illustrant. Ac primo, plures in Ecclesia ordines esse hierarchicos ex divina Christi institutione; ordinem Episcoporum, qui altioris ejusdem ministerii et officii potestas est; et ordines Presbyteri et Diaconi, qui simul sunt sacramenta characterem imprimantia. Thomae verba jam superius descripsimus: « Alio modo, inquit, potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacramentum: et sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu Corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit ordo. Haec habentur Dist. 24, saepe citata Q. 3, Art. 2, Qu. 2. » Accipe illa quae prostant Qu. 2, Art. 1, Qu. 2, ad 1. « Dicendum quod Dionysius loquitur de ordinibus non secundum quod sunt sacramenta, sed secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur; et ideo secundum actiones illas,

tres ordines distinguit. Quorum primus, scilicet Episcopus, habet omnes tres (purgare, illuminare et perficere); secundus, scilicet Sacerdos, habet duas (illuminare, et purgare); sed tertius, scilicet Diaconus, habet unam (purgare); et sub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. Sed ordines habent quod sint sacramenta, ex relatione ad maximum sacramentorum: et ideo « secundum hoc numerus ordinum accipi debet. » Ordinem ergo si accipias pro certo hominum statu, qui potestatem habent in actionibus hierarchicis erga Corpus Christi mysticum, triplex ille praecipue distinguitur « Episcoporum, Sacerdotum, et Diaconorum » quibus Hierarchia Ecclesiae a Christo instituta constituitur. Nam vero omnes huiusmodi ordines hierarchici ratione et pretio sacramenti potantur, ad Theologorum quaestionem pertinent.

Alterum consecrarium ad varios, qui distingui solent, Ministrorum Sacerdoti inserventium ordines ad Sacramenti veri nominis rationem elevare videtur Sanctus Thomas, ac frequens Theologorum de Schola haec opinio est. Dignissimam haud ego praetermitto ipsius Thomae animadversionem Dist. 24, Quaest. 2, Art. 1, Quaest. 2, ad 2. « In primitiva Ecclesia, » inquit, propter paucitatem Ministrorum « omnia inferiora Ministeria committantur Diaconis. . . . Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicitae in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatas est cultus divinus; et Ecclesia quod implicitae habebat in uno Ordine, explicite tradit in diversis. » Eadem habentur in Opusculo 19, contra impugnantes Religionem: « Sicut etiam in primitiva Ecclesia fuerunt soli duo Ordines sacri, scilicet Presbyteri; et Diaconi; et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit. » Quae ita a plerisque intelliguntur, ac si minores praedicti ordines ex una ecclesiastica institutione profecti fuerint, adeoque neque sint jure divino instituti, neque Sacramenta veri nominis.

Sequitur tertio, ex ritu illo sensibili, quo semper episcopalis potestas in Ecclesia collata est, in Synodo Carthaginensi quarta praescripto, haud colligi tuto posse, eandem potestatem episcopalem Sacramento quodam conferri. Ad id utique pertinent verba, quae Thomas habet eadem in Distinctione 24, Qu. 1, Art. 1, Qu. 3, ad 3. « Non omnis, » inquit, « benedictio quae adhibetur homini, vel consecratio, est Sacramentum: quia et monachi et Abbates benedicuntur, et tamen illae benedictiones non sunt Sacramenta. . . . Quia per huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem divinarum Sacramentorum » (quae scilicet vel ipsum continent principalem Dei cultum, Eucharistiae confectionem, et Sacrificii oblationem; vel isti praecipuo Dei cultui ministerium impendant; vel ad ipsum divinum cultum ordinem, per ipsum augustissimum Sacramenti receptionem). Neque ullum ingerat negotium impositio manuum, quam in ordinatione aut promotione Episcopi Synodus Carthaginensis quarta praescribit: neque enim sola manuum impositio statim Sacramentum aut Sacramenti administrationem evincit, cum illa adhiberi etiam consecraverit in poenitentium et catechumenorum admissione, in exorcismis, aliisque precibus. Sed attamen episcopalem

potestatem non nisi hocce ritu conferri, perpetua Ecclesiarum traditio docet.

Consecrarium quartum est, Christi voluntate institutum esse, ut ea episcopalis potestas non nisi hominibus, qui antea sacerdotali characterē insigniti fuerint, ac potestatem habeant in corpus Christi verum, conferri legitime ac rite et valide possit. Egregium hac de re documentum suppeditat Aquinas in 4, Dist. 7, Qu. 5, Art. 1, Qu. 5. « Alii dicunt quod auctoritas Papae tanta est, quod ejus mandato quilibet potest conferre quod habet: ut confirmatus confirmare, Sacerdos Sacerdotium conferre, Diaconus Diaconatum: non autem mandato ipsius potest aliquis conferre quod non habet, ut Diaconus ordinem sacerdotalem. Sed haec opinio videtur nimis ampla: et ideo media via secundum alios tenenda est. Et ideo sciendum est, quod cum Episcopatus non addat aliquid supra Sacerdotium per relationem ad corpus Christi verum; sed solum per relationem ad corpus Christi mysticum: Papa per hoc quod est Episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus Domini verum, sed per relationem ad corpus mysticum. » Hinc quid Summus Pontifex praedictae potestatis non erga corpus Christi verum, sed erga corpus Christi mysticum plenitudine donatus valeat, quidve non valeat agere, luculentissime explanat Sanctus Thomas: « Et quia gratia sacramentalis descendit in corpus Christi mysticum a capite; ideo omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum; et ideo solus Sacerdos potest absolvere in foro poenitentiali, et baptizare ex officio. Et ideo dicendum, quod promovere ad illas perfectiones quae non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem Pontificalis potestatis, committi Sacerdoti qui habet actum suum super corpus Domini verum: non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum, sicut nec absolvere in foro poenitentiali. Non autem potest simpliciter Sacerdoti committi promovere ad perfectionem, quae respicit aliquo modo corpus Domini verum: et ideo simplex Sacerdos ex mandato Papae non potest conferre ordinem Sacerdotis: quia ordines sacri habent actum supra corpus Domini verum, vel supra materiam ejus. Potest autem (Papa) concedere simpliciter Sacerdoti, quod conferat minores ordines, quia isti nullum actum habent supra corpus Domini verum, vel materiam ejus; nec etiam supra corpus Christi mysticum habent actum, per quem gratia conferatur; sed habent ex officio quosdam actus secundarios et praeparatorios. Et similiter potest concedere alicui Sacerdoti quod confirmet; quia confirmatio perficit in actu corporis mystici, non autem habet aliquam relationem ad corpus Domini verum. »

Paria sunt quae disserit Dist. 23, Qu. 1, Art. 1, ad 3, et ad 3. Loco priore sic ait: « Dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea quae ad dignitatem Episcopalem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Christi corpus: et ideo ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre

minores ordines, et confirmare, ut supra dictum est (Dist. 8). Non autem aliquis non Sacerdos. Nec iterum Sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex Sacerdos. » Rem denique loco altero magis illustrat, « Dicendum, inquit, quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis. Sed quia Sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episcopus; ideo non sequitur quod possit Diaconus facere, quamvis ille Ordo sit sibi propinquus. » Potestas illa quae potestatem perficit et complet in hierarchicis officiis erga Corpus Christi mysticum, ex Ordinatione Episcopali jure divino proficiscitur: eademque tametsi per Sacramentum aliquod non conferatur, non est attamen solius jurisdictionis potestas, ut ait Thomas, verum etiam potestas Ordinis, eademque jure divino indelebilis.

Hanc Doctoris nostri Sententiam, haecenus pro virili expositam, eandem plerique Theologorum existimant cum illa, quam Ilugoni de S. Victore, Alberto Magno, S. Bonaventurae, Paludano, aliisque non paucis, imo et Patrum doctissimo S. Hieronymo tribuit Joannes Morinus, de Sacris Ordinationibus Parte 5, Exercit. 5, c. 1 et 2, Agentes perhibentur illi, per accessum consecrationis Episcopalis novum non imprimi characterem, neque ullo pacto characterem Sacerdotalem extendi, aut quodammodo (ut ajunt) entitative augeri: id unum effici vero, divina quidem ex voluntate seu institutione, ut ipse character Sacerdotalis, expeditus fiat ad aliquas excedendas functiones hierarchicas, maximeque ad ordinandos presbyteros, quas antea non poterat. Hinc Episcopatus est ordo hierarchicus jure divino institutus, non est sacramentum a Presbyteri ordinatione distinctum. Si quis rem ita esse contendat, per me licet, neque longiorem contentiois funem ducam.

IV. Ab ipsa remota aetate in hac agitata quaestione in partes abiere Theologi et Canonici juris periti: hodieque non sine magna, sed innoxia, animorum contentione versari in Scholis eadem solet. Inter Canonistas recentiores Prosper Fagnanus lib. I Decret., Part. 2, Cap. « Requisivit », latissimo hac de re calamo agit. Doctorum varias opinioniones refert, discutit momenta quaestionis: propugnatque totis laertis, « Episcopatum esse Ordinem et Sacramentum, et characterem imprimere, ab ordine Presbyteratus distinctum. » Contra Fagnanum aliosque pugnam instituit Raymundus Capisueus Ord. Praed. S. R. E. Cardinalis, Controversia 28, inter Selectas Romae typis editas anno MDCLXX, nihilque pro egregii Theologi numero intactum relinquit, ut suppositam sententiam tueatur, ac doctrinae Divi Thomae vindicias agat. Septuaginta et plures, « quos (inquit) in suis locis vidimus », pro negante opinione, veteres et recentes numerat, Theologos et juris Canonici peritos, variarum gentium et familiarum, variorumque ordinum.

Saneta Synodus Tridentina hocce de argumento plura docet Sessione 25, ac decernit, quae credenda ac tenenda sunt: deque Episcopatus ordinatione, num veri nominis diei debeat Sacramentum a Presbyteratu distinctum, notam inter Doctores ac ventilatam quaestionem integre videtur opinantium

libertati reliquise. Id vero accurate ostendendum est. Docet Tridentini Patres Capite 1, « in novo Testamento Sacramentum visibile Sanctae Eucharistiae ex Domini institutione » Ecclesia acceptum esse: adeoque admitti oportere « novum, visibile, externum Sacramentum a Salvatore nostro institutum », traditumque Apostolis eorumque successoribus « in Sacerdotio potestatem consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi. » His consonat canon primus, quo anathema decernitur in eos, qui dixerint, « non esse in novo Testamento Sacramentum visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi etc. »

Tum ipsius ministerium Sacerdotii, tum alia inferiora ministeria Sacerdotio inservientia dici et esse ordines quosdam, ordinatissima dispositione in Ecclesia catholica institutos, doctrina est quae Capite 2 traditur his verbis: « Cum autem divina res sit Sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit... ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent ordines Ministrorum, qui Sacerdotio ex officio deservirent: itemque Canone 2, anathemate in eos lato qui dixerint, praeter Sacerdotium non esse alios ordines, majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur. » Ad hanc ordinem seriem non spectat Episcopatus: nec enim illo veluti quodam gradu in Sacerdotium tenditur, neque per sese spectatus Sacerdotium est. Hunc vero ordinem, vel sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, colligunt Capite 3, Tridentini Patres « esse vere et proprie unum ex septem Sanctae Ecclesiae Sacramentis, » agente Apostolo ad Timotheum Epistola 2, Cap. 1: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum etc. » Hinc anathema fertur in eos Canone 5, qui dixerint, « Ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum: » et Canone 4, in eos, qui dixerint, « per Sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem. » Certum videtur compertumque, hoc loco de sacra ordinatione agi, quae ordines superius expositos complectitur, ipsum nempe ordinem Sacerdotii, et alios veluti gradus quosdam in Sacerdotium tendentes, ejusmodi non est Episcopatus: unde permixtum colligitur a Synodo Tridentina, ut eodem de Episcopatu quod libet lubetque sentiant rationum momentis Theologi ac juris canonici periti.

Ad Ecclesiasticam hierarchiam exponendam Sancta Synodus praecedit Capite 4, docetque: « praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, » (Sacerdotes nempe, et Ministros jam memoratos) « Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad ecclesiasticum hierarchicum ordinem praecipue pertinere: superiores esse Presbyteris, » ac potestatem habere « confirmandi, Ministros Ecclesiae ordinandi et alia plerumque agendi: ac demum in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et ceterorum ordinum, nec populi nec ejusvis saecularis potestatis et Magistratus consensum, vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio. » Quae doctrina canone 6 et canone 7, firmatur, anathemate lato in eos qui

dixerint, « in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divinam ordinatione institutam, quae consistat Episcopis, Presbyteris et Ministris; et Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi etc. » Nomina quidem « ordinis et ordinationis » usurpant Patres, hanc declarantes ecclesiasticam hierarchiam: verum nihil est quod cogat, ut ordines aut ordinationes omnes ad eandem Hierarchiam pertinentes intelligamus veri nominis sacramenta; cum id unum eadem exposcat, ut in Ecclesia catholica ex divina institutione plura dentur officia, pluresque dignitates, majores minoresque. Porro sententia S. Thomae est, quam plerique Theologorum amplectuntur, Ordines quibus Hierarchia ecclesiastica constat, alios esse officia ac dignitates et Sacramenta simul, aliumque « altioris ejusdam ministerii » ordinem erga corpus Christi mysticum, scilicet Episcopatum, de quo num sit Ecclesiae Sacramentum, disceptare in utramque partem licet.

Pro agente sententia adhiberi maxime solent verba Apostoli; quae Synodus Tridentina laudat Capite 5, ex Epistola 21, ad Timotheum, Capite 1, vers. 6, desumpta: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. » His paria sunt quae idem Apostolus habet Epistola 1, Cap. 4: « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam » (declarato scilicet per revelationem divino suffragio) « cum impositione manuum presbyterii. » De ordinatione his locis agitur, per quam gratia Dei confertur, ad munus suum digne peragendum necessaria: agiturque praeterea de Timotheo in Episcopatum ordinato. Itaque ordinatio illa Episcopalis, sicut per eam gratia Dei collata est, ita veri nominis diei debet Sacramentum. Accedunt Ecclesiae Patres, quorum infra testimonia adducenda sunt.

Prudens et apposita est, quam Joannes a S. Thoma loco superius citato responsum affert. Respondetur concedendo (inquit ille) quod in illis locis Apostolus loquitur de ordinatione Timothei in Episcopum, ut plures Patres intelligunt: sed etiam de ordinatione in Presbyterum; utrumque enim videtur comprehendisse Paulus illis verbis: quod non obscure alii Patres indicant. Augustinus (vel potius alius Auctor) in libro Quaestionum ex veteri et novo Testamento, Qu. 95, loquens de insufflatione, qua datur Presbyteris potestas absolvendi a peccatis (quod constat fieri in Presbyteratu, non in Episcopatu) inquit: « inspiratio ergo haec, gratia quaedam est, quae per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatores habeantur. Unde Apostolus dicit ad Timotheum: Noli, inquit, negligere gratiam quae est in te, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterii. » Intellexit ergo, hunc locum Apostoli pertinere ad illam gratiam, quae ad remittenda peccata datur Sacerdotibus: et sic Paulus non de sola ordinatione in Episcopum, sed de ordinatione Presbyteri etiam loquitur. Ad haec Ambrosius, sive Auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, (quem docti plerumque eundem existimant cum Auctore laudato) Quaestionem ex veteri et novo Testamento, super I ad Timoth. 4, Manum, inquit, impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, ut audeat vice Domini offerre

• sacrificium. » Actus autem offerendi sacrificium est proprius Sacerdotii, non Episcopatus: ergo nomine impositionis manuum intelligit Apostolus non solum consecrationem Episcopalem, sed etiam ordinationem sacerdotalem. » Ad id maxime facit Christiani Lupi animadversio in Appendice ad Scholion in Canonem 4 Concilii Nicaeni: « Episcopatus, iniquitatis, et Presbyteratum esse jure divino distinctos omnino ordines: primis tamen Ecclesiae exordiis neminem dumtaxat in Presbyterum, sed omnem Presbyterum complete in Episcopum ordinari consuevisse: et hunc morem dudum perseverasse quibusdam in Ecclesiis, praesertim Alexandrina. » Favet Baronius Annalium parens ad An. 31, num. 62. « Quod vero mox idem Apostolus subdit: Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum: ipsum a se sacris initiatum fuisse significat. . . . Ad ipsum jam antea scriperat (1 Timoth. Cap. 4): Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. . . . Quomodo autem postea ab eodem Paulo praefectus sit Ephesiorum Ecclesiae, suo loco dicemus. » Ad Aquinatem nostrum quod attinet, in Commentario ad ea Apostoli loca ordinationem Timothei in Episcopum intelligit: loca eadem ad ordinationem Presbyteratum refert Parte 5 Summae Theologiae, Qu. 84, Art. 4. « Illic probatio Concilii Tridentini (verba sunt Joannis a S. Thoma) stat firma: ex locis enim ubi Paulus loquitur de gratia data in ordinatione, colligit ordinem esse Sacramentum: non quia ibi loquitur Apostolus de sola consecratione in Episcopum; sed quia ibi loquebatur Paulus etiam de ordinatione Timothei in Presbyterum. Et sic consequentia Concilii efficitur: est probatque Ordinem esse Sacramentum, quia in aliqua Ordinatione datur gratia, ut constat ex Paulo: ergo aliqua Ordinatio est Sacramentum. » Quod vero haec Ordinatio, de qua loquitur Paulus, sit Episcopatus tantum, vel Presbyteratus simul, ibi Concilium non explicat: » sed explicandum relinquit Theologis.

Sed accepta demum sola Episcopatus ordinatione, qua Presbytero jure divino confertur « complete potestatis, » ut ait S. Thomas, erga corpus Christi mysticum, gratiam in ea dari « ex opere operantis, » ut inquit, inficiatur nemo. Praesto sunt apertissima Divi Thomae documenta. Ait quippe in 4, Dist. 2, Q. 1, Art. 2, ad 9: « Ad quamlibet eminentiam status datur aliqua sanctificatio, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiae; sicut in consecratione Regum, et Monachorum, et Monialium; et ideo sunt actiones hierarchicae, et propter hoc Dionysius de eis determinat. Non tamen habent rationem Sacramenti; sed solum illam eminentiam, per quam homo efficitur sacrorum dispensator. » Ait etiam Dist. 58, qu. 1, Art. 3, ad 2. « In consecratione Virginum, sicut et in unctione Regum, et in aliis hujusmodi benedictionibus, gratia datur, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis. Sed tamen hujusmodi Sacramenta non dicuntur, quia non sunt instituta ad curationem morbi peccati, sicut alia Sacramenta. » Hunc vero morbum peccati, quem sacramenta curant per gratiam « ex opere operato » collatam, consistentem positamque de-

clarat Thomas in 4, Dist. 2, qu. 2, art. 1, qu. 1, ad 2, vel in « peccato, vel in debilitate spiritus » ad exequenda spiritualia. » Morbum primum tollunt baptismus et poenitentia: contra morbum eundem ordinantur Confirmatio et Eucharistia « ex officio, sive ex modo sanctificandi: » ad detegendas peccatorum reliquias ultra extrema unctio: ad reprimeendam concupiscentiam matrimonium: ad Sacramenta digne dispensanda denique ordo. Sat est vero, ordinationem Episcopatus « ex opere operantis » gratiam conferre ordinato, ut ea qua par est, dignitate ac decencia Ministros Ecclesiae instituat.

Patrum sententiae opponuntur, quibus Episcopatus appellatur Sacramentum. Tertullianus de Praescriptione haereticorum Capite 40, « Sacramenta Christi » vocat baptismum, expositionem delictorum, consignationem in fronte, panis oblationem, Summum Pontificatum, quae diaboli apud ethnicos aemulatus est. At nemo non videt, « summum Pontificatum » hoc loco accipi etiam pro Sacerdotio: ac praeterea voce illa « Sacramenti divini » aut « Sacramenti Christi » ea insigniri, quae veri nominis non sunt Sacramenta. Ait quippe Tertullianus: Diabolus « sub gladio redimit coronam » (seu martyrium aemulatur) « habet et virgines, habet et continentes. » S. Leo Magnus Epistola 11 ad Dioscorum Alexandrinum, al. 81, Capite 1, ordinationem Pauli et Barnabae appellat « benedictionis » Sacramentum. » Par est coniecere, simul eos in Presbyteros et Episcopos ordinatos esse: eoque loci agit Leo de die, quo Sacerdotalis vel levitica benedictio celebrari debeat. Idem Sanctissimus Pontifex in sermone quem habuit in Anniversario assumptionis die, sic ait: « cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones. » Verum ipsa pat-faciunt verba, non accipi Episcopatum a Sacerdotio distinctum. Deinde cum Diaconus esset Leo, ad summum Pontificatum, praemissa ordinatione Presbyteri, ad Episcopatum evectus est; unde integra haec ordinatio dicitur: « Sacerdotii Sacramentum. » Ac demum « Sacramenti » vox accipi frequentissime solet a Scriptoribus Ecclesiasticis pro sacro quocumque ritu: quo sensu ab Auctore Areopagiticorum apud S. Thomam in 4, Dist. 11, qu. 1, Art. 2, num. 9, « Monastica consecratio » vocatur Sacramentum.

Ambrosiaster de dignitate Sacerdotali capite 3, haec habet: « Ab Archiepiscopo sum nuper Episcopatus ordinatus, contumque ei solidos dedi, ut Episcopalem gratiam consequi meruissem. . . . Die ergo mihi paulisper, Frater Episcope; cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam Episcopalem » accepisti. » Animadvertite, in editione Nourriana legi: « ut Episcopalem gradum mihi conferres. » Argumenti ratio exposcit, ut « gratia » ista « Episcopalis » pro ipso gradu vel honore vel dignitate, vel potestate accipiatur. Hinc illa etiam habentur verba: « Caro suscepti dignitatem, et anima perdidit honestatem. . . . nec Episcopatus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. . . . Episcopatus inchoat ordinem, et Deus tribuit dignitatem. » Theodoretus Libro 4 Hist. Eccl., capite 25, narrat: Saracenorum Duce postulante, ut « Moses » quidam « Monachus » genti suae « Sacerdos » ordinaretur, « induci haud unquam potuisse, ut a Lucio Ariano manus impositionem susciperet: » Te enim invocante, » inquentem, « non supervenit

« gratia Spiritus sancti, » propter contagium nempe communionis cum heterodoxo Episcopo. Probandum foret, Monachum illum jam antea Presbyteratus Ordine insignitum fuisse, deque una Episcopali consecratione hocce in loco agi. Sed hunc denique locum, ac paria plura Patrum dicta interpretantem Thomam audivimus de gratia Spiritus sancti « ex opere operantis » collata, quae « ad quamlibet, » ut inquit, « eminentiam status datur, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiae, sicut in consecratione Regum et Monachorum et Monialium. »

Concilia et Patres asserunt, quorum dogma est, indelebilem esse potestatem Episcopalem; ac valide Presbyteros et Ministros ordinari ab Episcopo, qui loco et dignitate cesserit, aut gradu suo per ecclesiasticam sententiam dejectus foret. Hinc plerique inferunt, consecratione Episcopatus imprimi characterem, illamque id omne habere quod ad Sacramenti rationem requiritur. Indelebilem fatetur Thomas Episcopalem potestatem, eandemque jure divino annexam esse consecrationi seu ordinationi Episcoporum: simulque inficitur, eam dici oportere characterem. Loca ejus plura num. 1 allata sunt: omnemque elevat difficultatem characteris notio, si recte ac probe constituitur. Aquinatis verba, quae habentur in Summa Theologica, Parte 3, qu. 65, Art. 1 et seqq., assero: « Quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari; sicut milites, qui ascribentur ad militiam, aut iniquitatis solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale; et ideo cum homines per Sacramenta (Baptismi, Confirmationis et Ordinis, id est Presbyteratus et Diaconatus etc.), deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei (vel agendum, vel recipiendum), consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali characterem accipiunt. » Consule quae latiore calamo num. 2 pertractata sunt. Ad Episcopum pertinet, veluti ad principem, obsignare, deputare, mancipare fideles ad obsequium et cultum divinum, praecipue maximeque positum « in Eucharistiae Sacramento » et sacrificio peragendo aut recipiendo; » unde per Sacramenta, quae fidelibus administrant, characterem imprimi, non ipse characterem opus habens, « altioris cujusdam ministerii potestate, » jure divino irrevocabili, atque consecrationi Episcopali annexa insignitus. Hanc ergo potestatem, ipsamque consecrationem et ordinationem ut amittat, fieri humana ulla auctoritate non potest.

V. Postrema adversantium Doctorum obiectio illis innotuit et canonum et Patrum dictis, quae enuntiant, « Sacerdotum ordinem bipartitum esse: » alium Episcoporum, et alium Presbyterorum: » et Episcopatu quidem contineri plenitudinem, et summum imperium Sacerdotalis ordinis. Digna sunt animadversione Optati Mileviani verba libro 1, de Schismate Donatist., num. 15. « Quid commemorare . . . Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos. . . Episcopos apices et principes omnium? » Ambrosiaster in Caput 4 Epistolae ad Ephesios vers. 12: « In Episcopos omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est princeps Sacerdotum. » Paria prostant plurima apud Thomassinum de veteri et nova Ecclesiae disciplina, Parte 1, libro 1, cap. 1

S. Th. Opera omnia. V. 7.

et 11: quibus invicem collatis, hanc ille sententiam efformat, num. 9 primi capitis: « Episcopatus fons » et origo est, inquit, omnium ordinum et potestatum spiritualium. Emittit haec primum Episcopatus inexhausta plenitudo in Christo. . . . Exundavit in Apostolos. . . . Apostolorumque successores Episcopos. . . . Ab haec scabra manarunt deinceps, rivulorum instar, dignitates et ordines omnes Episcopali apice inferiores. . . . Quando igitur Presbyter (num. 10) in Episcopalem ordinem sacra inauguratione asciscitur, non prior ejus dignitas extenditur; sed tota illa plenitudo superior infunditur Sacerdotii, ejus fore tantum aliquo prius perfusus fuerat. . . . Poterat Presbyter Deo filios generare per baptismum: at novae creaturae vigorem, roburque vegetum (per Sacramentum Confirmationis) non poterat indere. Peccata dimittere poterat; sed hanc ejus potestatem pro arbitrio suo Episcopatus coarctabat. Offerre Deo incruentam victimam poterat: sed ea lex invaluerat Apostolico jam aevo, ut non nisi vel deficiente vel absente Episcopo, eoque jubente, hanc partem sacri munus impleret; nec nisi Templis, Altaribus, et vasis sacris, quae Episcopatus consecrasset. Denique verbo Dei poterat populos pascere; sed mandante Episcopo, tempusque illi et locum praefigente. Per magna igitur erat haec Presbyteri potestas; sed precaria, et obnoxia legi et imperio Episcopali. » Haec disserenti Thomassinus jam praeverat Petrus Aurelius, quem ipse laudat Thomassinus Capite 2, num. 14.

Haec eadem docet omnia S. Thomas, quin ab ea recedat opinione, quae Episcopatum denegat Sacramentum esse, et imprimere characterem. Docentem ipsum audivimus in 4, Dist. 24, Qu. 3, Art. 2, « Episcopalem potestatem non esse tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis: » ordinem esse Episcopatum, « si ordo consideretur, secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum. » Sacerdotem representare Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit, « sed Episcopum in hoc quod alios ministros instituit et Ecclesiam fundavit: » ad Episcopum pertinere « mancipare alios divinis obsequiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuentem; et per hoc specialiter dici sponsum Ecclesiae. » Et Libro 4 contra Gent., capite 76: « Episcopalem potestatem esse altius quodam in Ecclesia ministerium, quod » excedit Sacerdotium in his quae pertinent ad fideles; et ipsam Sacerdotalem potestatem ex Episcopali derivari: quiddam arduum circa populum fidelum est agendum, Episcopis reservatum esse, quorum auctoritate etiam Sacerdotes possunt quod eis agendum committitur: in his demum quae Sacerdotes agunt, illos tunc rebus per Episcopum consecratis, ut in Eucharistiae consecratione utuntur consecratis per Episcopum calice, altari, et pallis. » Ampliora et praestantiora de Episcopis non dixere Patres, nec Petrus Aurelius, nec Thomassinus.

Verum cum ipse Episcopatus dicitur summum Sacerdotium et Sacerdotii plenitudo, vel ita intelligendum id est, ut Sacerdotis potestatem erga corpus Christi mysticum augeat Episcopatus, ac plenam efficiat collata altioris cujusdam ministerii potestate; vel etiam ut Episcopalis ordinatio id habeat, ut ipsum Sacerdotium, seu potestatem erga Christi

corpus verum, nisi prius collatum inveniret, per se conferret. Priorem interpretationem communis amplectitur Theologorum consensus, amplioremque illam potestatem erga corpus Christi mysticum characterem esse, et Sacramento conferri, ajunt plures; inficitur Thomas, quem frequens Theologorum et Canonistarum agmen sequitur.

At etiam nonnulli videntur fuisse, qui per Episcopalem ordinationem, si cuiquam nondum Presbytero inaugurato adhiberetur, ipsam conferri opinati sint potestatem in corpus Christi verum, et plenam simul omnem potestatem in corpus Christi mysticum. Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum Capite 16, haec habet: « Utrum Diaconi ad Episcopatum electi per saltum, apud Romanos ordinati sint (omisso scilicet Presbyteratu), non levis momenti quaestio est. Partem affirmantem adstruere videtur libellus noster prior: eadem enim ejus qui ex Diacono, atque illius qui ex Presbytero ordinatur, consecratio. Nimirum fortasse quia, ut sentit Hieronymus Epistola 85, (ad Evagrium seu Evangelum) in Episcopo et Presbytero continetur. Hanc sententiam confirmat Photii adversus Romanos ista obiectio, cur Levitae Episcopi ferent, presbyterii gradu non prius accepto? Hanc quidem objectionem ex calumnia oriri dicit Ratramnus (noni saeculi scriptor); eamque retorquet in adversarios, qui ex laicis subito tonsis faciebant Episcopos contra regulas ecclesiasticas. At Aeneas Parisiensis Episcopus (eodem saeculo nono) facti veritatem non diffidit, et respondetque . . . quod in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis. Tum subdit: Forsitan autem illi qui de Diacono ordinant Episcopum, praetermissa benedictione presbyterali, assertioni Beati Hieronymi in epistola loquentis ad Titum, ex parte concedere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo participari affirmat Ministerio Episcopali. » Et capite 18: « Quae de Episcoporum ordinatione per saltum in superiori Capite praemisimus, quodam secundae quaestioni praepudicium est, Romanae Sedis electum, si quando ex Diaconis creabatur, praetermissa Presbyteri gradu, Pontificem fuisse ordinatum. Id autem conjicitur ex altero libello nostro etc. » In eandem ire videntur sententiam Franciscus Pagius in Breviario Historico-Chronologico-Critico Pontificum Romanorum, in Sabiniario, qui cum Diaconus esset S. Gregorii, post hujus obitum anno 604, ordinatus est Summus Pontifex: eamque consuetudinem docet abrogatam jam fuisse tempore Gregorii VII, qui Archidiaconus tantum erat, anno 1075 electus est Pontifex, prius ordinatus Presbyter, et altera die Pontifex. Stephanus IX, qui anno 1085, sedem Apostolicam conscenderat, Alphonsum Salernitanam sedis electum ordinaturus, « in juniis Martii prius mo Presbyterum, » teste Leone Marsicano Libro 2, capite 98, « deinde sequenti Dominica Archiepiscopum » consecravit.

Doctissimis hisce Viris oppono doctissimum Thomassinum Parte 2, Libro 1, capite 86, num. 15, ubi ait: temere Photium latinae obtrectasse Ecclesiae, quasi in ea Episcopi ex Diaconis, non suscepto Presbyteratu, ordinarentur. Verba refert Nicolai 1, qui Epistola 70, ad Hinemarum inter plures Graecorum calumnias et illam commemorat, « quia Diaconus, non suscepto Presbyteratu officio, apud

« nos Episcopus ordinatur. » Addit Ratramni Monachi testimonium ex Libro 4, Capite 8, contra praedictam a Photianis excogitatum calumniam. Conjectatur vero, inde forsitan Graecos ansam capiasse conviciandi Latinis, quod Canones nostri sanxissent, ut « ex Presbyteri vel Diaconis » Episcopi deligerentur: inde conclusentes, tam immedie Episcopatum a nobis conferri Diaconis, quam Presbyteris. Animadvertit, Aeam Parisiensem Episcopum illam ordinationem per saltum factam quidem esse, sed trepido ac pene suspensio calamo, re non satis illi comperta et explorata. Romanam synodum sub Joanne XII. celebratam anno 964, recenset, ex qua constat, Antipapam Leonem VIII. ordinatum primo fuisse « Ostiarium, » tum « Lectorem, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, » et tandem « Presbyterum, » antequam « Pontifex » inauguraretur. Joanni XII. vita funeto anno 964, suffectus est Benedictus V. qui Diaconatus ordine insignitus erat, detruso Leone. Cum is rursus Sedi Apostolicae redintegratus esset, Benedictum deturbavit, « omnique » spoliavit ipsum, teste Luitprando Libro 6, Capite 11, « Pontificatus et Presbyteratus honor: » unde patet, ad Presbyteratus ordinem promotum illum fuisse, antequam Episcopus et Pontifex consecraretur. Pergit adnoscere Thomassinus, haec Photianis quidem et temporibus et criminationibus posteriora esse exempla; sed a specie veri tamen alienissimum videri, ut Photii columnis id datum factumque fuerit, quod aliquid in occidentalis, vel Romanae saltem, Ecclesiae moribus innovaretur. Adde demum, inquit, quod ordinationis alicujus Antipapae, v. g. Constantini, quem Anastasius Bibliothecarius, aut alius quisque Auctor « Subdiaconum et Diaconum » ordinatum refert, atque tum « Summum Pontificem, » ea esse possent vitia, quibus alicui similiter non clauderent: ibi namque multa praecipitatur, quae alias expediuntur lentius.

Eadem est sententia Christiani Lupi in Dissertatione de Octava Synodo Generali, Capite 5, Calumnia 9, inquit: « Antiquissimus Romanae ac « omnis sub caelo Ecclesiae mos, per Synodum Sardicensem confirmatus, non solum Presbyterum, sed etiam Diaconum permittit eligi in Episcopum. » Hinc impudens Photius suam a laico praevicatoriam electionem alieno vitio fecere moliens, calumniare nos non erubuit, quod Diaconos per saltum in Episcopos et eligere et consecrarent. Verum hujusmodi saltum foimus eum « omni sub caelo Ecclesia semper acerrime detestati. Etenim Ischyram, Sancti Athanasii calumniosum accusatorem, quem per saltum Eusebiana factio consecravit in Episcopum, damnavit « laudata nostra Synodus Sardicensis etc. » Nullam et irritam, si contingeret haec Diaconi, praetermissa Presbyteratu, inauguratio in Episcopum, frequentius illi etiam fatetur Theologi, qui Episcopatum existimant Sacramentum ab eodem Presbyteratu distinctum. Ajunt enim: « Episcopalem ordinationem ita esse a Christo institutam, ut essentialiter debeat praesupponere Sacerdotium: adeoque valide non posse quempiam consecrari Episcopum, qui prius non esset Sacerdos initiatus. »

Nonnullas ingerit difficultates Edmundus Martene de antiquis Ecclesiae ritibus Lib. 1, Capite 8, Art. 5, num. 10. « Joannes, inquit, S. Galli discipulus, Diaconus, ordinatus Episcopus Constan-

« tiensis est, Presbyteratu non suscepto, ut satis « clare docet Strabo in vita S. Galli Libro 1, Capite 23. » (apud Mabillonium Saeculo 2, Benedictino, et in Annalibus ad Annum 615, num. 8). Valafridi Strabonis verba sunt: « Dux (Joannem) « Diaconum venire fecit in medium . . . Licet « recentem in praesentiam Pontificum pertraxerunt et Ducis . . . Levaverunt omnes pariter « vocem dicentes: Joannem elegit sibi Dominus « Pontificem hodie . . . Episcopi itaque duxerunt « eum ad altare, et solemnem benedictionis officio « ordinarunt Antistitem. » Auctoritas est negativa, ut verbis utar Lupi loco priore superius citato: quae commissum saltum discrete non affirmat. Simul Presbyter et Episcopus consecrari potuit Joannes, sed alia et alia consecratione, vel eadem die, vel diebus distinctis.

Constantini Antipapae exemplum adducitur ab eodem Martene: quod ita Bibliothecarius in vita Stephani IV. describit num. 265, apud Franciscum Blanchinum: « Cum nondum (Paulus I.) spiritum « exhalasset, » agente Totone Duce Nepeinae civitatis, « elegerunt Constantinum, fratrem ejusdem Totonis, laicum existentem . . . Georgius Episcopus, « timore correptus, orationem illi clericatus tribuit, « et ita clericus effectus est . . . Alio vero die « illucescente, secunda feria, Subdiaconus atque « Diaconus ab eodem Episcopo consecratus est . . . « Adveniente Dominico die . . . Pontifex ab eodem « Georgio Episcopo Praenestino et aliis duobus « consecratus est. » Cum designentur in particulari gradus ecclesiastici a Constantino suscepti, et nulla fiat mentio Presbyteratus ipsi collati, indicio est praetermissum prorsus ab eo fuisse. Ita nempe Martene. Thomassinum audivimus, hoc fortasse vitium contigisse in Antipapae ordinatione, in qua multa praecipitatur quae alias expediuntur lentius; ac tanti rem istam esse momenti, ut solo silentio perfici certe nihil possit. Adde ergo liceat, Constantinum Presbyterum ac Episcopum vel eadem vel diversa die initium fuisse fieri vero expressam « Clericatus, Subdiaconatus et Diaconatus, » qui uno eodemque die suscepti fuerunt, mentionem, ut nota fieret illegitima Constantini ordinatio, ob ejus ex laico adsumptionem, ac praetermissa inter ordines interstitia contra sacrorum canonum statuta.

Pergit Martene, et ait: « In Concilio Romano post « Constantini depositionem a Stephano Papa III. « vel IV. congregato, sub anathematis interminatione « vetitum fuit: Ne ullus unquam laicorum, neque « ex alio ordine, praesumat, nisi per distinctos « gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus ordinem possit promoveri. Ubi liberum fuisse videtur, ex utrisque Diaconis aut Presbyteris Cardinalibus ordinari Pontifices. In eodem Concilio « Actione 5, statutum est etiam, ut Episcopi, quos « Constantinus ordinaverat, si quidem Presbyteri « fuerunt aut Diaconi, ad pristinum ordinem revertentur, denuo ab Apostolice susceperunt benedictionis consecrationem. » Liberum nempe relinquitur, ut Episcopi ex Diaconibus vel Presbyteris eligantur: qui vero Diaconi dumtaxat fuerint, praetermissa Presbyteratu ordinari potuisse Episcopos aut Pontifices, verba nulla discrete tradunt. Iterum vero statuitur, ut inter ordines Subdiaconatum et Diaconatum et Presbyteratum interstitia observentur: in his vero, quod attinet ad Presbyteratum, dispensatum innuitur, quoties Diaconus eligetur Episcopus juxta mores Ecclesiae Romanae: facta demum contra canones ordinatione; decoratur, ut qui hocce eum vitio ordinati fuerint, ad pristinum gradum legitime susceptum reverti debeant, donec ab Apostolice benedictionis consecrationem accipiant: de qua dissident Theologi, num haec fuerit caeremonialis tantum, an nova et vera consecratio. Rem quam discimus, mirifice illustrat Benedicti V. exemplum, quod superius memoratum est. Vita funeto Joanne XII, narrat Luitprandus in Historia Capite 11 libri sexti, Romanos, insuper habito Leone VIII, qui contra ipsum Joannem, Othone Imperatore agente, evectus fuerat, « Benedictum Cardinalem Diaconum » constituisse « Papam. » An existimaveris, praetermissa Presbyteratu, Episcopum et Papam consecratum fuisse? Te tua falleret opinatio. Ipse Luitprandus narrare pergit, Leonem Sedi Apostolicae redintegratum, « omni Pontificatus et Presbyteratus honore prius vasse Benedictum: et Diaconatum eum habere « permisisse. » Nedom ergo Episcopus inauguratus fuerat, verum etiam Presbyter: ipsique Diaconatus ordo et honor relinquitur, quem legitime susceperat.

DISSERTATIO V.

ADVERSUS PETRI ZORNII, HAMBURGENSIS HETERODOXI, PROGRAMMA, DE VARIA SANCTI THOMAE AQUINATIS FORTUNA IN SCHOLIS PONTIFICIORUM, PRAESERTIM GALLORUM: ALIAQUE COMMENTA ET DICTERIA ADAMI TRIBBECHOVII, HETERODOXI SAXO-GOTHANI.

CAPUT I.

Partium studio in suo Programme laborat Zornius. Bona ac propitia Sancto Thomae Aquinatis, dum viveret, arrisit pro meritis fortuna. Sinistra nulla passus est Parisiis occasione censurae, a Stephano Tempier Episcopo latae.

I. Petri Zornii Hamburgensis, Heterodoxi hominis, « Programma » incidit in manus, inscriptum

« de varia fortuna Sancti Thomae Aquinatis in « Scholis Pontificiorum, praesertim Gallorum, » quod prima vice Rostochii anno 1706 editum est, tum inter ejusdem Scriptoris « Opuscula Sacra » Tomo 1, semel et iterum recensum Altonoviae et Flesburgi anno 1745. Ad minus mei partes, qui Admonitionibus in ejusdem Thomae opera ac doctrinam Venetae Bettinellianae editioni inserendis, vel hisce dissertationibus sejunctim editis, qualescumque labores confero, maxime spectare censui,